



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Difficul. II. An dominium ejusdem rei possit esse penes duos in instanti
donationis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

se eam ex dispositione juris gentium. Tum quia. Ita habetur capite, jus gentium, dist. 1. & L. ex hoc jure ff. de jure & iustitia. Tum quia. Universalis locutio Scripturæ: *Dominamini piscibus maris & volatilibus cæli*, irrestrictum dominium singulis competere notat. Ergo, per aliquid aliud, restringi debuit: & hoc quid aliud, quam jus gentium? Tum quia. Cum non esset Ratio sub initium mundi, quare hoc potius hujus, quam illius fuerit, debuit hæc ratio jure gentium formari, occurrendo negligentis & malitiis humanis: censeturq; hæc divisio facta ab Adamo, tanquam capite, & à Noë post diluvium; quamvis autem, ei quod est de jure naturali præceptivo, non possit contravenire jus gentium, utpote subditum illi priori: si tamen jus naturale, sit non nisi permissum, & quasi suspensum, quoadusque oppositum ex pacto non fiat, oppositum bene potest jure gentium introduci: ad eum modum, quo nuditas homini est naturalis non præceptivè, sed permissivè, quoadusq; non fuerit rebellio sensitivæ partis contra rationem: quia autem hæc divisio bonorum rationabiliter est facta, hinc in casu extremæ necessitatis redduntur adhuc bona communia omnia, quantum requiritur ad necessitatem.

Revocari huc debet Præscriptio & usucapio. Nomine Præscriptionis (apud Laym) venit exceptio, seu oppositio, adversus actionem Actoris, non inficiando ejus fundamentum, sed aliquid opponendo, ob quod sine vel efficacitate sua privetur. Usu autem capio, ex Modestino, est acquisitio domini, per continuationem temporis lege definiti: plura, sed non speculative noscenda, lege apud alios. Materiam de dominio examinando. *Erit.*

DIFFICULTAS II.

An dominium ejusdem rei, possit esse penes duos in instanti donationis?

Petrus est donans. Paulus donatarius, quaeritur: An in instanti donationis uterque habeat dominium?

PRÆMITTO I. *Actum donationis, tam ab Angelis, quam ab hominibus posse fieri internè uno instanti, & eodem acceptari:* & quidem de Angelis non est tanta difficultas: nam cum sint puri spiritus, & ad manifestationes mentis sensibilibus & divisibilibus signis non indigentes, poterit uno eodemque instanti hic donare, ille acceptare: quia nulla est in hoc repugnantia. Sufficient enim, ut pro priori naturæ, acceptet, intra idem instans temporis. Vel si in hoc habeas difficultatem, pone suppositionem impossibilem, & institue quaestionem: An, si per impossibile uno eodemque instanti fieret donatio, & acceptatio, uterque tunc esset Dominus rei? De hominibus major est difficultas, an possint donare, acceptare, dum adstricti è sensibus agunt. Et

quidem, quod aliquo casu possit id fieri, saltem in donatione vel acceptance conditionata, dubium non est; quia posset dicere Petrus, dono illi rem hanc hoc instanti, casu quo ille habeat hunc actum; accepto si mihi hoc instanti res illa offertur, quid autem repugnat, ut habeatur hic actus ab alio? Deo, in modum bonæ fortunæ injiciente, ut habeatur hæc mens, multoq; magis id evenire potest in statu separationis, vel in patria, ubi modus noster agendi, habebit conditionem spiritualis modi agendi, vel si condito tempore pergant uterq; in actibus, hic donandi, ille acceptandi. Sed si donatio debet signo externo manifestari, indubiè naturaliter hoc fieri non poterit, quia instantaneis, sensibilia non mensurantur. Cæterum saltem miraculosè id fieri posset, Deo v. g. manifestante eodem instanti, donationem alius, & offerente concursum, ad acceptandum.

PRÆMITTO 2. *Supposito, quòd eodem instanti fiat donatio & acceptatio, in hoc erit difficultas: An eo casu uterq; sit Dominus in solidum, & perfectissimè?* in quo ipso non est difficultas in hoc, an pro eodem priori naturæ, & intelligibilitatis uterq; sit Dominus: quia per prius naturā antecedit donatio, utpotè causa moralis, & saltem prærequisitum ponendæ acceptance. Ergo non pro eodem priori est acceptatio: quia & per prius natura, antecederet donatio & non antecederet per prius naturā. Non antecederet quidem: quia pro eodem priori naturæ, jam esset acceptatio; antecederet autem: quia dicitur esse prius naturā, omne autem prius, antecessorem importat. Deinde, quando aliquis dicit: Dono, pro illo priori; quando dicit: dono, vel donat, quia est acceptatio legitima, vel donat, ut sit, si donat, ut sit. Ergo, pro priori eodem non est; si donat quia est tunc acceptatio legitima. Ergo etiam si non donaret pro illo priori donans, haberetur jam dominium rei à donatario: quia jam haberetur legitima acceptatio, quod est absurdum. Nec item in hoc est difficultas: An sequentibus instantibus uterq; sit Dominus? cum enim unius sit efficax intentio, ut ubi fuerit usus sua potestate in donando, impostetum nullam habeat in tem potestatem, quomodo jam sequentibus instantibus retineret dominium, nisi fortè poneret dominium inspoliabilem proprietatem.

PRÆMITTO 3. *Varias usurpationes terminorum, quibus utuntur Auctores in hac materia, quas simul ostendunt varietatem sententiarum circa præsens punctum.*

I. TERMINUS. Est dominium in solidum: & dominum perfectissimum: dicuntque primum convenire in instanti donationis utrique, non secundum; sic docet Arriaga i. p. d. 30. a. n. 5. Unde dominium solidum, dicunt esse dominium in rem, non dividendam, nomine autem, perfectissimi, intelligunt dominium, quod dicit potestatem

testatem in rem, pro omni usu possibili. *Hæc usurpatio termini*

NON SATISFACIT 1. Quia non est major ratio de dominio solido, quam, de perfectissimo. Ergo, concessio uno, concedi debet & aliud. Deinde, quando libertas definitur per posse agere & non agere, nihil obest, quominus ex suppositione consequenti, non possit agere, & tamen liberè. Ergo etiam ad dominium sufficit, ut sit potestas antecedens utendi re, pro omni usu possibili, quando non nisi ex suppositione consequenti non potest oppositum fieri.

NON SATISFACIT 2. dominium in solidum est domini species. Ergo illi debet competere definitio domini in genere, & tamen definitio domini ut sic, modo sit legitima, importabit potestatem utendi re, prout libuerit. Ergo, & dominium in solidum conveniet, consequenter illud dominium in solidum, erit dominium perfectissimum.

NON SATISFACIT 3. Tum quia, hîc agitur de dominio, quod jura prohibent, quæ non prohibent dominium in solidum: possunt enim habere duo dominium equi. Tum quia. Dominium ex suo essentiali conceptu est in ordine ad usum. Ergo, & dominium in solidum debet esse ad perfectum & integrum usum.

1. TERMINUS est. Dominium formale & dominium virtuale. Dominium formale dicitur non haberi in donante tunc, secus virtuale, nomine prioris venit potestas proxima, & immediata ad usum rei licitum, nomine posterioris seu virtualis, venit posse dare rem, vel retinere, hocq; in instanti donationis est etiam in donante, & non tam est dominium rei, quam juris, quod potest generare in accipiente & abdicare à se. *Hæc usurpatio termini*

NON SATISFACIT 1. Quia potest donans habere dominium virtuale in primo instanti. Ergo & formale: verbis enim hæc differunt; quia posse dare, & retinere proximè à potestate proxima, & immediata, verbis differunt. Rursus usus rei licitus, & Ly donatio, & retentio licita, verbis etiam differunt: quia usus rei licitus, est quasi uno verbo exprimens, quod per plura dicit donatio & retentio licita, cumq; jus, sit relativum ad rem, si habet potestatem juris, habet etiam potestatem seu dominium rei, præcipue cum non tantum jus, sed & rem donet. Hinc si habet jus in ipsum jus, habet jus in dominium rei.

NON SATISFACIT 2. Quia ex doctrina respondentis sequitur, quod detur tunc dominium formale, attendendo ad latam ejus domini definitionem. Velenim habet potestatem donandi vel non; si non. Ergo non donat, si habet, habetur intenti pars, quæ eruitur ex ipsa definitione formalis domini, nempe quod in donante habeatur potestas. Rursus quæro, cum donat, vel proximè potest donare, vel re-

motè: si remotè. Ergo, non dat; sed dedit, si proximè. Ergo habetur altera pars intenti. Deinde eo instanti, quo donat, vel utitur illa potestate illicitè: Ergo non donat, quia sine usu licito, nulla donatio; si licitè: Ergo est illicitus rei licitè: usus autem ille in specie, est donatio, consequenter conveniente definitione domini formalis illi datori pro illo instanti, conveniet & ipsum dominium formale.

Neq; valet si dicas: quod in illo instanti non habeatur potestas, nisi ad usum dandi vel retinendi: quia ad hoc duo membra reliqua revocari possunt: & si ad hos duos usus habet potestatem, à pari, habebit & ad alios.

NON SATISFACIT 3. Quia, ut urget Lugo, dominium non est definitum per proximum & immediatum posse, sed per posse disponere; conveniet ergo donanti definitum dominium: præcipue cum Argumenta oppositorum, etiam virtuale dominium excludant à donante.

3. TERMINUS est, quo utitur Esparza, & Haunoldus. Dominium esse duplex, radicale & incompletum proveniens ab extrinseco; & dominium formale & completum & proveniens à forma intrinseca. Prius illud est dominium conditionatum, & non est aliud, quam lex illa suprema, quæ, quantum in se est, in certis quibusdam casibus, alios gravat in favorem unius, sub hac conditione, si favorem acceperit. Sic v.g. lex naturæ universalis est, ut quicquid invenit, sit Dominus rei, si velit, sed requiritur acceptatio, quæ revocata, non habetur habitualis perseverantia domini, sed aufertur, quæ sublatio domini intercedit, etiam in instanti donationis: hinc donatio, prout se tenet ex parte donatoris, non est usus domini absoluti, sed conditionati, convenientis donatori per denominationem extrinsecam, proveniente à dominio absoluto instantis immediatè præcedentis, & à lege conditionatè favente, quatenus si noller dominium præexistens in alium transferre, permaneret Dominus. *Hæc usurpatio termini*

NON SATISFACIT 1. Quia hoc dominium conditionatum & absolutum vel conveniunt in ratione domini, vel non conveniunt; si non conveniunt, ergo, saltem alterutrum non est dominium, utpote cui generica definitio domini non convenit; si vero dominio conditionato convenit definitio domini, etiam illud erit potestas utendi re sua sine injuria, nisi lex prohibeat, consequenter, erit dominium, de quo hîc quæritur. Tum quia. Hîc quæritur de dominio, vi cuius ille in instanti donationis legitime donet actu; dominium autem extrinsecum conditionatum, non est dominium, vi cuius possit aliquis donare actu: quia non est dominium distinctum ab eo, quod haberem, si rem invenirem, vi cuius domini non dono quidquam actu, sed donarem: nisi dicas nihil omnino ha-

R. P.
THE MLOD
JANOWSKI
Tom 3. et 4.
D. VI
6

nō habentem, esse habentem omnia actu. Tum quia. Ex vi hujus doctrinæ sequitur, nullum omnino dominium convenire donanti: quia illud dominium est, quod haberet, si non donaret. Ergo, cum hæc conditio impleatur, transibitur jam in absolutum, nempe in non habere dominium; ad eum modum, quo legitime dico: si homo esset hircocervus, diceret identitatem hirci & cervi. Ergo cum non sit hircocervus, non dicit hanc identitatem. Et casu quo homo jam sit cervus, dicit hanc identitatem, transeunte conditionata in absolutam, ita cum illa conditionata, esset Dominus si condonaret transeat in absolutam, donat enim, sequitur ut jam nullum ibi competat dominium; & tamen per oppositos aliquod dominium competere illi debet.

NON SATISFACIT. Tum quia. Dominium illud conditionatum solum facit me posse esse Dominum: & sicut Deus non dicitur esse aeterno, conditionatus creator, sed tantum ab æterno potens creare; ita & in præsentī idem dicendum. Tum quia. Nego, dominium illud conditionatum non esse aliud, nisi legem supremam faventem: quia dominium debet esse potestas potentis disponere, quæ non est lex, sed cui, & propter quod, favet lex; sicut moralitas objectiva non est lex Dei, de quo aliàs. Tum quia. Nego dominium tunc competens donatori, provenire nonnisi à dominio absoluto. Tum quia. Nego, quod illud dominium non possit dici intrinsecum, utpote desumibile à tali potestate, vi cuius, si noller transferre dominium maneret Dominus. Tum quia. Nego dominium illud conditionatum non esse dominium in re, cum sit donatio, rei, quæ non potest esse, sine dominio in re. Tum quia, contra principia communia, admittit instans, post instans, nempe instans donationis, post instans immediate præcedens dominii absoluti.

NON SATISFACIT 3. Tum quia. Dominium illud conditionatum; vel est potestas disponendi sine injuria, vel non? si est. Ergo, est dominium, quod intendimus, absolutum; si non est, ergo nec disponit. Ergo nec donat, quod est contra suppositionem. Vocaque illud dominium ut volueris, modo concedas illud trahere secum potestatem disponendi sine injuria. Tum quia. Tota formalitas dominii non nisi conditionati ex eo habetur, quod pro tunc desinat moraliter acceptatio; id autem non convincit: quia ipsa libera non acceptatio, est aliqua dispositio, adeoque supponens potestatem disponendi, consequenter dominium. Tum quia. Dominium illud conditionatum, conveniens homini per denominationem extrinsecam, proveniente à dominio absoluto, instantis immediate præcedentis, & à lege, conditionatè favente: quatenus si noller dominium præexistens in alium transferre, permaneret Domi-

nus, involvit aliqua difficilia. Imprimis, quomodo ab instanti dominii, quod jam præterit, possit aliquis habere denominationem dominii, potestatemque disponendi? sicut non potest habere rationē viventis à vita, quæ præterit, sunt quidem aliquæ denominationes præsentis, à præterito desumibiles, sed illæ jam non restringuntur ad tempus determinatum, ut v.g. denominatio absoluti à peccatis. In præsentī autem restringitur hæc denominatio nonnisi ad certum instans. Difficile item est, quomodo, si noller dominium præexistens in alium transferre, permaneret Dominus? qualis enim Dominus permaneret? non Dominus absolutus: quia ad formam hanc dominii, cujus privatio supponitur quæ dabitur regressus? non dominium conditionatum: quia aliàs hæc doctrina non plus haberet, quàm quod si aliquis sit Dominus conditionatus, sit Dominus conditionatus. Denique difficile est, quomodo dominium illud absolutum, dum præsens est, non sit simpliciter inutile, cum nullus illius sit usus? usus enim illius est dispositio ad placitum, quæ per oppositos, non potest esse, quin ante dispositionem jam debeat periisse absolutum dominium: sicut inutilis esset vita, quæ nullum actum poneret, & si poneret, deberet præsupponi desuisse.

Punctum Difficultatis I.

Quid tenendum?

DICENDUM est. In instanti donationis, tam donatorem, quam donatarium esse Dominum. Ita Lugo d. 3. de Incarnatione sect. 1. & hic d. 2. n. 10. Arriaga. 1. P. d. 30. Hurt. de Incarn. d. 12. Ripal. de Ente supern. d. 83. Aldr. de Incarnatione, d. 11. p. 4. est autem contra Bernal. d. 7. s. 3. Esparza q. 49. Haunold. de Donat. S. 2. Legistæ non videntur esse contra nostram conclusionem: quia illi solum negant posse aliquos duos esse dominos permanentes ejusdem rei, idque in solidum, temporaneè.

Quod donatarius sit Dominus, communiter nemo negat. Rationes, quæ aliàs adferri solent pro hac parte; ne sint mancæ, sic restitui possunt. Impossibile est esse causam actu causantem, & non respondere rei pro eodem instanti effectum: hoc enim ipso non esset causans: esse enim causantem, est correlativum ad effectum. Sed donatio in instanti, quo fit, est causa dominii, unde à donatario pro ratione adferri potest, quare hoc habeat? quia, scilicet, datum sibi est. Tota difficultas est de donante. Sed illum habere dominium.

PROBATUR I. Quia si pro illo instanti non esset Dominus donans ipse, desisset in illo dominium, vel ante instans donationis, vel in instanti donationis. Neutrum dici potest. Non primum: Quia impossibile est dari effectum ante suam causam. Sed si ante instans donationis des-

desineret dominium, daretur effectus ante suam causam. Quod probatur. Quia definitio domini est effectus donationis: ad hoc enim dat, ut se possidet dominio, & in alium transferat. Non potest etiam dici secundum; quia si desineret dominium in instanti ipso donationis, vel desineret per ultimo esse, vel per primo non esse? non desinit per ultimo esse, quia & non esset tunc dominium in donante, ut supponitur, & esset: quia de quo verum est dicere ultimò esse, est adhuc verum dicere, *est*. Nam de quo est verum dicere speciem, de illo verum est dicere, genus; *esse* autem ad ultimo esse, est genus; beneque à propositione de tertio adjacente, arguitur ad propositionem de secundo adjacente, accommodatè utrobique *est* accipiendo. Hinc etiam in Philosophia desinere per ultimò esse, appellatur definitia per intrinsecum: quia supponit existentiam desinentis ipsius. Non etiam in instanti donationis desinit dominium in donante per primum non esse. Si enim tunc esset domini primum non esse, non posset tunc donare, quod probatur. Tum quia; quando, ut ita dicam secundo, tertio, quarto, &c. aliquod dominium non est, non potest tunc fieri donatio. Ergo, etiam cum primo non est, non potest fieri tunc donatio. Consequentia probatur. Ideò Antecedens est verum: quia in illis omnibus non est jam dominium. Sed etiam & quæ in primo non esse, non est. Ergo, nec in primo illo, fieri poterit donatio. Tum quia, quando aliquid primo non existit physicè, & quæ non potest causare physicè, atque cum sequenti tempore non est. Ergo etiam quando dominium non existit primo, non potest fieri donatio, atque cum postea non existit. Tum quia, licet dominium sit quid non nisi morale: quia tamen habet se ad causandum, planè ac si quid physicum esset, idque ex eo, quia actionum physicarum, principiativum est suo modo; v. g. donationis physicæ, hinc fit, ut si desinat moraliter, jam non possit esse actionis physicæ principiativum moraliter: præcipue quia dominium non potest causare, causatione fundata in arbitraria apprehensione.

PROBAT 2. Lugo Arr. & alii. Dominium est potestas utendi & disponendi de re absque injuria alterius. Sed donans pro instanti donationis, habet disponendi potestatem sine injuria alterius. De facto enim legitime donat donationem, licet autem non possit conjungere retentionem libri cum non retentione vel combustionem libri, hoc ejus potestatem disponendi non impedit, sicut sedens cum sessione, non potest conjungere deambulationem, & tamen potest simpliciter non sedere, sed deambulare.

RESPONDERI posset 1. Quòd hoc Argumentum prober, non esse in donante dominium, quia sine injuria donatarii non potest v. g. librum illum comburere.

Contra est. Quia, istud non posse, est ex suppositione consequenti, seu ex suppositione donationis. Jam autem suppositio consequens, non destruit ipsam potestatem, adeoque dominium.

RESPONDETUR 2. Ex Haunold. Argumentum multum probare: probaret enim, quod eo instanti adhuc verè existat dominium rei, quo Dominus rem suam destruit; nam destruendo, de re disponit: hoc autem non potest dici: quia sicut homo non existens, non est Dominus: ita rei non existentis, non potest dari dominium: alioqui daretur relatio sine termino, & quando pater occideret filium in instanti mortis, adhuc esset pater.

CONTRA. Concedo quòd, quando est ultimum esse rei, quæ destruitur, sit adhuc Dominus illius rei destruens, & quia in donante est ultimum esse illius potestatis, quæ destruitur, fit, ut adhuc donans, dicatur esse Dominus pro illo instanti.

RESPONDETUR 3. Usurpando terminos, jam in ante à nobis discussos; quod detur in donante dominium conditionatum, non absolutum. Vel dominium virtuale, non autem formale. CONTRA. Redit argumentum. Dominium absolutum, dominium item formale, quando & quomodo desinat?

RESPONDETUR 4. Quòd dominium debeat esse usus, sed non destructivus domini, si autem sit usus domini, sed destructivus ejusdem, non stabit cum eo. Unde etiam casu, quo Deus daret dominium annihilandi creaturam: in illa annihilatione, non maneret Dominus annihilans.

CONTRA. Quia non datur usus domini destructivus; & esset enim usus domini, ut supponitur, & non esset, quia dominium non esset. Tum quia. Nego pro eodem instanti usum domini, quo est usus domini, est destructivum domini; sed id debere esse, pro sequenti instanti. Tum quia. Redit adhuc argumentum factum. Destructio illa vel est libera dispositio, vel non est, si non est. Ergo, non est destructio: quia hæc deberet esse dispositio destructiva: si est. Ergo, est adhuc dominium: quia est potestas disponendi. Tum quia. Potest esse disparitas in usu potestatis annihilandi: quia usui potestatis donandi, nihil deest ad dominium: est enim usus potestatis, qui supponit potestatem esse, est etiam objectum, in quod se extendit dominium, consequenter habentur omnia requisita salvandi domini. Quia autem in annihilatione, licet sit usus potestatis, quia tamen non supponitur esse objectum, in quod extendatur dominium, fit, ut neque debeat dici manere dominium. Tum quia. Urgeri potest, id quod proponit Arriaga, conceditque esse illic absolutum dominium: quia licet cum annihilatione, quæ est quidam usus rei, non possit res ipsa existere,

R. P.
THE MLOD
IA 10 WSKI
Tom 3. et 4.
D. VI
G

stere, quia tamen eo instanti, potuit illam retinere vel destruere, ideo erit adhuc moraliter Dominus illius rei: quia ad dominium morale, non requiritur existentia physica rei.

Ad eandem Responsionem, revocatur illud argumentum. Vel manet tunc dominium simpliciter, & sine addito, vel non? si non. Ergo, nec est tunc Dominus rei; & tamen disponit de re, sine injuria. Ergo, ulterius non est bona illa Consequentia, donans disponit de re sine injuria. Ergo est simpliciter Dominus; si autem dominium illud, est simpliciter dominium. Ergo, pater occidens filium est simpliciter pater, poteritque relatio dari sine termino. Item, qui, in se destruit visionem, claudendo oculos, non potest in instanti occlusionis adhuc dici simpliciter videre.

RESPONDETUR. Esse illud dominium simpliciter, patremque occidentem, in ultimo esse filii, esse; potestque relatio manere in ultimo esse termini, clausioque oculorum, in quantum importat ultimum esse visionis, importat videre simpliciter. Quod si accipiat clausio oculorum pro primo non esse visionis, non erit jam visio. Deinde, quia visio non est posse videre, nec definitur per hoc posse, hinc manente posse videre, non manet visio. Jam autem dominium est definitivè, posse uti & non uti: hinc, manente illo posse, manet dominium; & quia illud posse, est in instanti donationis, erit & dominium in eodem.

Addo, saltem ratione ultimi esse ei destruendæ, & ratione esse, potestatis collatæ, salvari poterit dominium.

RESPONDETUR 5. Dominium in prior natura esse in donante, pro posteriori autem naturæ, in donatario.

CONTRA est. Ergo, dominium est in utroque in primo instanti donationis: quia illud instans non est divisibile, nec prioritas solius conceptibilitatis, excludit simultaneitatem physicam.

PROBAT 3. Hurtadus; & ad argumentum supponit. Angelos eodem instanti reali posse mutuo colloqui: ponit rursus, totum hoc tempus donationis claudere tribus instantibus; uno, quo Deus Michaëlem constituit dominium hominis, secundum, quo Michaël nihil constituit de homine, tertium, quo illum donat Gabrieli; quo posito, sic arguit. Michaël & Gabriel illo instanti tertio uterque est Dominus. Gabriel quidem, quia ei donatur, Michaël etiam, quia nullus potest absque peccato donare servum, nisi sit ejus Dominus, hoc ipso enim non donaret servum, quia non esset ejus Dominus.

Punctum Difficultatis 2.

Solutio Argumentorum ex Recentioribus.

OBJICITUR 1. Quo instanti desinit pars constitutiva alicujus totius, eo instanti desinit, & totum constitutum. Sed in instanti donationis, desinit in donante, pars constitutiva

dominii: quia acceptatio domini, est pars intrinseca domini, & hæc in instanti donationis desinit, quia, quo instanti dicitur, nolo hoc habere, hoc instanti tollitur: volo hoc habere, adeoque tollitur acceptatio, quæ est; volo hoc habere. Sed in instanti donationis dicitur: nolo hoc habere, consequenter, tollitur acceptatio.

RESPONDETUR. In instanti donationis, non desinere acceptationem per primum non esse, sed desinere per ultimum esse.

RATIO. Quia cum transferendo jus in alium, velit donans id facere cum potestate legitima, quæ non esset, si deficeret omnino acceptatio, quæ potestatem illam legitimam complet, fit, ut adhuc retineat acceptationem, ad actum legitimandum, quasi diceret: posita jam donatione, quam modo facio, retracto acceptationem, exhibeoque alteri acceptandam rem; ut ita salvetur hoc, quod donet suum: non esset autem suum, si deficeret acceptatio, adeoque titulus constituens rem, in ratione suæ. Unde in instanti donationis retineri adhuc acceptationem; sed in desinenti, & per ultimum esse. In illa propositione: Nolo rem hanc habere, pro isto instanti. *Ly pro isto instanti* construatur debet cum *Ly nolo*: est enim instantanea illa operatio; illoque & non alio instanti ponit *Ly: nolo*. Sed non debet constitui *Ly*, pro isto instanti, cum *Ly non habere hanc rem*: hoc ipso enim illegitimè, ex dictis, donaret. Unde illud *nolo*, est explicabile per *Ly volo* habere ultimum esse acceptationis, nec ultra. Alii idem solvunt, quod in instanti donationis, desinat quidem acceptatio, sed desinentiæ, quæ poterat esse, & non esse antecedenter, adeoque salvo dominio.

INSTABIS 1. Quando ego nolo primo rem acceptare, licet mihi liberum sit acceptare, & non acceptare, non dicor nihilominus habere dominium illius rei. Ergo etiam, quando ponitur actus; nolo acceptare, non erit dominium.

RESPONDETUR. In casu Antecedentis, non posse ostendi quomodo vel primo, vel ultimo sit acceptatio, quæ integrat dominium; est autem ultimum esse acceptationis in donante. Dicent alii in casu Antecedentis non esse exercitium disponendi de re, prout voluerit, adeoque non esse salvativum domini, & tamen hoc habetur, in casu consequentis.

INSTABIS 2. Pro illo instanti, quo liberum est mihi dicere: nolo acceptationem, vel est adhuc acceptatio, vel non est; si est, Ergo; nolo acceptationem, erit: volo acceptationem, si non est; quomodo est dominium, quod constituit acceptatio?

RESPOND. Cum dico, nolo acceptationem, est illic, volo acceptationem, per ultimo esse, in quantum scilicet requiritur, ut legitimè dicatur: nolo acceptare, quod legitimè non diceretur, si non haberet jus.

INSTABIS 3. Haunold. Jus Dei ad odium habendum peccatorem propter peccatum, comple-

negatione condonationis, beneque inferitur, condonationem, non esse actum juris, ut odio habeatur peccator, sed esse destructivum, illius juris: quia condonatio tollit negationem condonationis. Ergo & donatio non est actus dominii presentis, quin potius est destructivum formaliter illius: quia contra acceptationem ponitur negatio acceptationis.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, eò quòd non possit ostendi, in quo salvetur ultimum esse negationis condonationis, cum defacto est esse condonationis: potest autem ex dictis, ostendi adhuc, tunc esse ultimum esse acceptationis, ut illud in nolo acceptare, fiat legitimè. Unde posita condonatione divina, nec in se, nec in aliquo sui exercitio, manet negatio condonationis, jam autem in aliquo sui, ex dictis, manet acceptatio.

Obijci potest 2. Impossibile est esse causam agentem in aliquo instanti, & non esse effectum illius tunc: sed causa destructionis dominii in donante, est actualis donatio, quæ habetur in primo instanti donationis. Ergo, & habebitur destructio dominii in donante.

RESPONDETUR. Esse causam destructionis dominii ipsam actualem donationem; ita tamen, ut dominium, licet definentia per ultimum sui esse; hicque effectus illius causæ, nempe ultimum esse dominii. Causa autem ipsius absoluti non esse dominii, non est ulla propria eodem instanti operans, sed quia operata est, ultimum esse dominii; post quòd, ex natura rei, sequitur absolutum non esse. Adeum planè modum, quo post primū non esse, sequitur continuatum non esse, sine ulla propria causa, eodem instanti operante. Quanquam hic etiam suo modo ostendi potest causa, nempe nonsecuta ultimum esse dominii, ulla redonatio.

Obijci 3. Haunoldus. Dominium plenissimum est jus amplissimū disponendi de re, nisi ex obliquit, ita ut consistat quidem definitivè in hoc jus in re, quia in illam, nemo alius jus habet: unde etiam dominium plenum à non pleno, differt per negationem juris alieni, in eadē re; quo posito sic arguit. Si in eodem instanti duo essent Domini plenissimi ejusdē rei, tunc unius dominium, alterius dominio excluderetur, & non excluderetur.

RESPONDETUR. Dominium, quod est genus, non debere definiri per speciem, adeoque nec per jus plenum. Unde etiam dici potest, esse illic dominium plenum, hoc sensu in utroque, quia uterque potest sine injuria disponere, sed non plenum hoc esse, exclusivum alius. Deinde dici potest; non repugnare ut habeant duo jus, sed ita, ut unius sit in ultimò esse, & alius in primo esse; licet repugnet habere jus plenum, per esse jus utrobique æquale. Nam supposito quod sit in uno per ultimū esse, si ulterius illud haberet, & esset ultimū illud esse, ut supponitur, & nō esset, quia illud haberet. Eundem medium terminum sic proponit Esparza. De ratione dominii pleni est, ut non sit impedibile simili alterius jure, quod in presenti non habetur. Unde si duo essent Domini pro eodem instanti, uterque in dispositione rei esset, & non esset

impedibilis in favorē alij, gravamine sibi imposito, haberet & non haberet gravamē sibi impositū.

RESPOND. Negando dicto modo debere definiri dominium, sed posito, quòd ita definiretur, necdum concluditur: quia licet sit impedibile per jus alius, impedibile solū est ex suppositione consequenti, adeoque salvo dominio. Dici etiam potest. Jus tale si sit in ultimo esse, posse esse impedibile à jure alterius: quia in hoc nulla repugnantia, licet transacto ultimo esse, debeat esse in impedibile, aliàs hoc ipso, non esset ultimū esse illius dominii.

INSTARI potest 1. Adhuc, ex dictis, donans non est Dominus: non enim potest, sine injuria donatarii, ut potē domini, rem illā v.g. destruere.

RESPOND. Per hoc probari, quod donans sit Dominus: quia donatarius pro eodem instanti sine injuria, non potest rem destruere, facereque ne illam illi donare possit. Unde licet vi illius dominii, quod habet donatarius, possit sine injuria donantis disponere, v.g. eodem instanti alteri donare, non tamen disponere dispositione tali, quæ faciat, ne tunc sibi à donante donari possit, cum supponitur velle donare. Habet quoque donatarius potestatem disponendi de re, quoad omnes usus possibiles, qui non impediunt, ne possit eo instanti donans donare, & ne donatarius acceptet, dum supponitur acceptare. Directè dicitur, quòd jus sit potestas disponendi sine injuria alius antecedenter, licet ex suppositione consequenti, non possit sine injuria disponere; si enim donat, facitque Dominum, dominio illum, spoliare non potest. Quod si id non nisi ex suppositione consequenti facere non potest, hoc ipso non destruitur in illo dicta potestas: sicut nec destruitur libertas ex dictis aliàs.

INSTARI potest 2. ex eodem. Verum est, nemo dat quod non habet, idque servit pro nostra sententia; ita pro opposita facit, nemo destruit, quod non habet, nemo spoliatur re, quam non habet, nemo occiditur, qui non vivit; sicut ergo ad hæc verificanda, satis est præcessisse immediate formam, quæ tollitur; ita etiam in donatione, sufficit præcessisse dominium absolutum.

RESPONDETUR. Negando ad propositiones illas verificandas sufficere, præcessisse formam: in destructione enim debet esse ultimum esse destructi, quid enim destrueretur? & si nihil habet, quis spoliatur? si mortuus est, quis occiditur? Sed quid sit de Antecedenti, non tenet consequentia. Ratio. Quia cum destructi, spoliati, mortui, nulla sit actio, sufficit ampliativè præcessisse formam: quia autem in instanti donationis est actio dominii, illiusque exercitium in ipso donante, sicut in illo, sit etiam dominium.

INSTARI potest 3. ex Esparza. Sicut in aliquo sensu est verum, nemo dat quod non habet; ita est verissimum, simpliciter, nemo habet, quod dat in sensu composito donationis; aliàs poneretur datio, cum retentione simpliciter.

RESPONDETUR. Nomine simpliciter habere venit habere non ultimo, habere non in definenti, supponitur autem donans, habere in definenti.

R. P.
TH. MLOD
Liaowski
Tom 3. et 4.
D. VI
6

Punctum Difficultatis 3.

Proponuntur Argumenta communiora.

Decurrunt sunt Argumenta, quæ Lugonis Collega Anton. Mangilius, ut refert Hauldus, primus proposuit, ponunturq; à Lugone.

OBJICIT 1. Cessante causa, quæ conservat aliquem effectum, necesse est omnino perire effectum. Dominium autem formale conservatur à voluntate. Ergo, posita voluntate contraria, quâ dicit donans, volo non esse amplius Dominus, cessabit dominium.

RESPONDETUR. Retorquendo Argumentum contra dominium virtuale, Conditionatum, quod etiam per voluntatem conservatur; & tamen donatione transfertur in donatarium. Directè dicitur, cessante causa conservativa per ultimum sui esse, necesse est perire effectum per ultimum nonnisi tunc esse; voluntas autem Domini donantis, est tunc in ultimo esse: quia quamvis dicat, volo non esse amplius Dominus, supponit implicitè, post donationem factam legitimè.

INSTAT. Dominium formale, de se, est indifferens, ut conservetur, indigebit ergo determinativo; hoc autem non aliud est, nisi negatio revocationis. Ergo quando ponitur revocatio actualis, non poterit conservari.

RESPONDETUR. Quando ponitur revocatio actualis volens esse nonnisi ultimum esse acceptationis, potest esse adhuc & acceptatio, & dominium: secus si esset revocatio, excludens etiam ultimum esse acceptationis. Sed hoc secundum in præsentia non est.

OBJICIT 2. Si Deus alligaret dominium gradui caloris octavo; v. g. ut ille esset Dominus libri, qui haberet illum gradum: det mihi Deus potestatem transferendi illum gradum in alium, tunc in instanti, quo transferrem gradum illum caloris, transferrem etiam dominium libri, juxta decretum; possetque intelligi dantem, non esse Dominum libri eo instanti, quo daret illum gradum; licet posset dare, & non dare, & liberè daret. Ergo, nunc etiam ita erit.

RESPONDETUR. Etiam tunc diceret donans; volo esse ultimum nonnisi esse caloris, adeoque dominii, consequenter salvo dominio. Addi posset, siquidem illud dominium esset alligatum calori, qui nisi replicetur, non potest esse in duobus simul, consequenter nec dominium; secus hic, cum possit in utroque esse moralitas dominii.

OBJICIT 3. Dominium libri non potest esse in tempore sequenti in utroque simul. Ergo, neq; in instanti donationis.

RESPOND. In casu antecedentis ostendi contradictionem: quia si duo essent Domini in tempore, tunc in instanti donationis, & ultimo esset dominium in donante, ratione translationis dominii, quæ tunc fit, & non ultimo esset: siquidè etiam sequenti tempore duraret. Concedo quidè vi dominii, rem esse obstrictam possessori; sed nego non esse etiam obstrictam donanti; licet per ultimum esse obstrictionis.

OBJICIT 4. Translatio dominii formalis, non est actus dominii formalis: quia nullus actus destruit potentiam, cujus est actus, sed translatio dominii formalis destruit in transferente, dominium formale. Ergo, illud non salvat.

RESPONDETUR. Licet nullus actus destruat potentiam, hoc sensu, ut proficiatur à potentia, & in instanti perfectionis facit illam primo non esse, destruit tamen hoc sensu, ut faciat illam ultimo esse, ut fit in actuali sui occisione.

INSTAT. Donatio libri non oritur ex dominio formali: quia ad donandum alteri librum, non est necesse, quòd ego possim uti illo libro, sed solum quòd possim donare. Ergo, donatio non est ex potestate utendi, sed donandi.

RESPONDETUR. Ipsam potestatem donandi, esse potestatem utendi, tanquam speciem usus.

OBJICITUR 5. Ex Absurdis.

PRIMUM ABSURDUM. Si vera est Conclusio, sequitur cum qui dat libertatem servo, eodem instanti manere adhuc Dominum illius, quod tamen est falsum: non potest enim esse Dominus, quando non est jam servus: in eo autem instanti, is, qui erat servus, est jam liber: accepit enim libertatem, ut supponimus.

RESPOND. In Domino esse tum ultimum esse dominii: quia est exercitium potestatis dominativæ: si enim non esset Dominus illius, quomodo illi legitimè posset dare libertatem. In servo autè est ultimum esse, servitutis: nam esse Dominum & servum, sunt correlativa: hinc si ille est Dominus ultimo, cum secundum proportionem dominatq; fit servi ratio, etiam servus, debet esse ultimo servus. Sed illud ultimum esse servitutis est simul conjunctum cum primo esse libertatis. Ratio: quia & esset tunc datio libertatis, ut supponitur, & non esset datio libertatis: quia nulla acceptatio libertatis.

Restat solvendum, quomodo stare secum possint libertas & servitus? Communis apprehensio, quæ ad instantia non attendit, non agnoscit libertatis & servitutis coherescentiam: bene tamen hæc in aliquo instanti coherere possunt.

RATIO. Tum quia; ut, ait Lugo, potest esse equus, pro instanti venditionis meus & tuus. Ergo, & homo, pro instanti donationis potest esse suus & alterius. Tum quia; Discoherentia dominii & servitutis pensanda ex principio de contradictionis, ita ut non possit esse quisquam servus & liber, ratione ejusdem, eodem modo; & ita potest esse aliquis servus ratione Petri, liber ratione Pauli, respectu ipsius Petri, liber est in hoc, in alio servus. Quod si servitus est exclusiva libertatis, secundum regulam de contradictione, poterit fieri, ut servus sit diverso respectu servus, & diverso liber; servus quidem, quia illo instanti liberè de illo disponitur; liber autem, quia illa dispositio, est datio libertatis, quæ ipsa datio libertatis, cum sit per liberam, & legitimam dispositionem, de eo, de quo disponi potest, supponatur quæ ultimum esse Domini in donante, hoc ipso supponit in alio, ultimum esse servi. Tum quia; Acceptatio libertatis

tis excludit negationem acceptationis libertatis, adeoque servitutem, ex quo principio inferitur, esse illum, qui fuerat servus, liberum; quia tamen acceptio libertatis non excludit pro illo instanti potestatem disponendi de se, tanquam de re Domini, adhuc salvabitur dominium in Domino, adeoque sub hoc titulo, inducetur ratio adhuc servi.

SECUNDUM ABSURDUM ex Haunoldo. Ex hac sententia sequitur, quod quando quis iusto pretio alteri rem vendit & tradit, accepto vicissim pretio, (ponamus in instanti) sequitur tam emptorem quam venditorem in instanti venditionis esse factum ditiores: ambo enim, collectivè accepti, plus haberent, quam habuerint prius: & simul etiam sequeretur, quod non plus haberent: quia nihil est in ipsorum dominio assignabile, quod non etiam prius habuerint. Sequelæ autem sunt contra naturam contractus & æquitatem: præterea ambo simul non essent ditiores: quia quivis scorsim sumptus, est Dominus & mercis & pretii: quæ omnia sunt absurda.

RESPOND. Concedi posse sequelam utrumque; scilicet esse factum ditiores, negando id autem esse contra naturam contractus, & æquitatem, qui contractus non attendunt ad instans considerationis metaphysicæ, sed ad temporaneam statumque acquisitionem. Negari etiam posset sequela, quod debeant censeri moraliter ditiores: quia sicut si replicaretur unus idemque calor in tribus subjectis, non plus haberet unum subjectum, quam reliqua. In præsentia autem supra eundem terminum, cadit dominium, quamvis posset dici, extensivè, ut ita dicam, & ratione titularum, plus esse dominium in duobus, quam in uno, sed non plus ratione termini.

TERTIUM absurdum est. Cujus meminit Lugo ex Bernal. quia si Michaël manet Dominus & instanti, quo donat Gabrieli centum, & Gabriel eodem instanti pro posteriori naturæ, velit illis centum, solvere Michaëli, alia centum, quæ ei aliunde debebat: sequitur, solutionem illam non esse ex iustitia: quia non potest solvi ex bonis, quæ sunt creditoris.

RESPOND. Solutionem ex bonis simpliciter creditoris nullam esse, secus solutionem ex bonis quæ simul sunt debitoris, modo in illo extinguatur jus, evadantque postea bona, non nisi creditoris.

OBJECIT 6. Hæc propositio: Ego abjicio dominium libri, est practica. Ergo, operatur de præsentia, cum sit vera de præsentia. Omnis autem qui dat librum, dicit implicitè, & posset dicere explicitè; Ego me spolio dominio libri.

RESPONDETUR. Quod tunc privet se homo dominio, hoc sensu: quia facit hoc dominium ultimo esse.

OBJECIT 7. Ergo etiam ejusdem dominium poterit esse in pluribus, adeoque in infinitis, scilicet Angelis.

RESP. Posse esse in infinitis Syncategorematicè: nam non datur infinitum Categorematicum. Ad solvendas alias Objectiones.

Noro 1. Dependenciam dominii duplicem

esse, dependentiam, ut dicam causalitatis, seu causati dominii, secundum quam dominium unus, causat dominium alius, & hæc dependentia non obest dominio; causam enim esse, & productum dominium, non tollit, sed ponit dominium. Alia est dependentia fundans revocabilitatem, & hæc tollit dominium. In præsentia autem habetur non nisi prior dependentia.

Noro 2. Mentem Auctorum de hac donatione. Imaginantur illi, quod Deus creaturæ possit aliquid iustitiam dare, sine ulla translatione dominii, cum illo instanti uterque sit dominus, & quia, quod Deus uno instanti facit, tota æternitate facit, durabit dominium Dei semper. Sed id non convincit, quomodo enim erit illa vera donatio iustitialis? de quo infra. Et quamvis æternitatem mensurentur actiones Dei, secundum id, quod dicunt in recto, secundum tamen id, quod dicunt in obliquo, respiciunt diversa connotata. Et sicut ratione diversorum connotatorum verificatur hæc propositio, in justificatione impii: Jam illi Deus non irascitur, sed irascebatur: ita tunc dici posset: Jam illi Deus non donat, sed donarat.

Noro 3. Quid sentiendum de doctrina Aldrete? qui admittit quidem dominium in instanti donationis in utroque, in neutro tamen perfectum, idque ex eo: quia Dominus rei, si sit perfectè Dominus illius, nequit alteri inferre injuriam, quocumque modo utatur re. Si enim facit injuriam, apparet, quod potestas seu dominium illius, non extendatur ad illum usum possibilem: Dominium autem plenum ad omnem usum se extendit, illi autè ad invicem possent sibi tunc injuriam inferre. Sed id etiam non convincit: quia dominium propriè salvandum sufficit, quod secundum suppositionem antecedentem possit disponere, licet ex suppositione consequenti non possit, de quo supra.

DIFFICULTAS III.

An dominium distinguatur universaliter ab usu?

CONSENTIUNT Auctores, dominium interdum distinguere ab usu tam juris, quam facti: neuter enim horum usuum, saltè interdum, dicit jus in substantiam rei, in quam jus dicit dominium. Quia tamen interdum ita utimur rebus, ut in ipso usu, vel moraliter ut pecunia, vel physicè ut bolus pomi consumatur, ipsa substantia rei, difficultas confurgit: Quo modo tunc non habeatur jus in ipsam substantiam, cum habeatur jus in usum, qui ipsam substantiam rei absorbit?

DICENDUM est. Etiam in rebus uno usu consumptibilibus dominium distingui ab usu. Est Conclusio Pontificum Nicolai III. Clementis V. Innocentii IV. Alexandri IV. Gregorii IX. Post illos Suar. Sanch. Mol. Less. Valent. Tanner. Lugo. Dicast. & aliorum; defactoque censetur paupertas Minorum, esse talis. Nam nec Communitates illorum habent dominium in bona; est autè cont. Joan. 22. Papam Cajet. Turrec. Sylvest. Aragon.

PROBATUR 1. In rebus non consumptibilibus uno usu, distinguitur dominium ab illo usu, distinguitur item ab usu juris. Ergo, etiam di-

R. P.
TH. MLOD
Liaowski
Tom 3. et 4.
D. VI
6